



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Cursus Biennalis Studii Canonici, Sive Succincta Et  
Methodica Sacrorum Canonum Explanatio**

**Engelhard, Johann Martin**

**Moguntiae, 1700**

Titulus X. De His qui liberos occiderunt.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63255)

QUÆRES. 5. Qualiter puniantur reite-  
rantes baptismum? Respond. Ii qui scienter &  
absolutè baptismum reiterant, ut faciunt anabapti-  
sta, de Iure Civili ultimo afficiuntur supplicio, de Ju-  
re autem Canonico fiunt irregulares, c. 2. b. t. Et  
insuper si Clerici fuerint, deponuntur, si laici ex  
communicantur, can. fin. dist. 51.

## TITULUS X.

De

### His qui liberos occiderunt.

QUÆRES 1. Quid sit parricidium? Respond.  
Licet nomine parricidii veniat ferè quæcun-  
que cædes contra pietatem in cognatos vel af-  
fines perpetrata *l. 1. ff. ad l. pompeii. de parricid. Et. uni*  
*Cod. de his qui parentes;* Hic tamen de eo solùm par-  
ricidio agimus quod in parentes vel liberos exer-  
cetur.

QUÆRES 2. Quæ sit parricidarum pœ-  
na? Respond. Pœna parricidii olim sane erat gra-  
vissima & horrenda de Iure Civili; qui enim pa-  
rentes vel liberos, avum vel aviam, nepotem, occi-  
derat, virgis sanguineis ad sanguinem cælus, & sac-  
co coriaceo cum cane, gallo gallinaceo, viperâ & fi-  
miâ inclusus, in mare, aut flumen propinquum ja-  
ctabatur, aut si flumen non esset, bestiis objice-  
batur. *l. pnnult. ff. Et. uni. Cod. de id. tit.* cui pœnæ ho-  
die abrogatæ, aliæ pro arbitrio iudicis & varietate  
circumstantiarû successerunt; alicubi enim parrici-  
dæ membræ rotæ subjiciuntur; alibi cauda equi  
ad loq

ad locum supplicii tracti decapitantur, & rotæ affiguntur; alibi strangulati & dolio oclusi in flumen demerguntur. Jure Canonico gravius aliis homicidis puniuntur. Is quidem qui parentem occidit, ab ingressu Ecclesiæ, uno, à S. Communione duobus annis arcetur, & præterea condemnatur ad jejunia aliaque pœnitentiæ opera *can. latorem cau. 33. q. 2.* mater autem filium occidens in monasterium olim detrudebatur, ad agendam pœnitentiam perpetuam, hodiè pœnam subit arbitrariam; denique ad evitandum infanticidium, infantes collocandi non sunt in parentum lectis, ubi si infans occisus aut suffocatus reperiatur, & à quo factum ignoretur, uterque parens ad triennem pœnitentiam, in pane & aqua transigendam, condemnatur. *cap. fin. b. t.*

## TITULUS XI.

De

### Infantibus & languidis expositis.

**QUÆRES I.** Quid sit expositio infantum & languidorum? Respond. Expositio est quando pater vel mater, dominus vel etiam extraneus ipsis scientibus & ratum habentibus, spreto pietatis officio infantem, filium, liberum, vel servum ante Ecclesias vel alium locum publicum collocant, ad hoc ut alii eos videntes excommiseratione recolligant, & educant; ejus igitur finis est, ut expositi vel moriantur, vel excommiseratione suscipiantur.

QUÆRES